



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hermann Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De
Westphalia & Saxonia Inferiori**

Hamelmann, Hermann

Lemgoviae, 1711

VD18 11397225

Epitaphium Claræ Perottiæ, fœminæ lectissimæ Conjugis Clarissimi Viri
Herman. Hamelmanni Licentiati. obiit in die Martini Anno Domini 1586.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

EPITAPHIUM

Claræ Perottiaë, fœminæ lectissimæ

Conjugis

CLARISSIMI VIRI

HERMAN. HAMELMANNI

Licentiati.

obiit in die Martini Anno Domini 1586.

Clara Pudore suo meritis præclara Mariti,
Clara sub hoc moriens condidit ossa solo.
Ad tumulum pietas luget quam viva colebat,
Perfundit lacrymis candidus ora pudor.

Dicite Vos Claræ claræ præconia Musæ,
Illa fuit Multos vivere digna dies.

Heu! fati rigor & sceleris contagio nostri!
Cuncta sub arbitrium Mors trahit atra suum.
Nil virtutis amor, nil florida profuit ætas.

Discite Mortales! quàm spes sit nostra caduca!
Discite quàm res sit nostra repleta malis!
Omnia sunt hominum variis obnoxia damnis.
Qui sese ad mortem preparat, ille sapit.

Cognatæ & Conterranæ suæ dilectiss.

posuit

M. HENRICUS MEYBOMIUS,

Lemgovienfis.

Scripsit & M. LAURENTIUS DRABITIUS sequens

Epigramma Consolatorium ad Hamelmannum.

Nomine Clara fuit, sed re Clarissima longe
Uxor Hamelmanni dotibus Eximia.
Christe pium solare senem, solare relictum
(In quo stat patris provida cura) gregem.

c

De-

Vita H. Hamelmanni Theologi.

Decennium post, utpote Anno 1595. d. 27 Junii (28) vel potius d. 26 Junii (29) obiit H. Hamelmannus circa horam primam & secundam matutinam, & 28 ejusdem honorifice Oldenburgi in templo S. Lamberti humatus est; In Epitaphio proxime ad umbonem, sive orientem versus, Reverendus senex inflexis genibus, manibusque ad cælum elatis, sedet, cui hæc mira inscriptio addita.

אלי אלי למרה עובדתי

Infra verò hæc verba leguntur.

Contra Calumniæ morsus
Veritas mihi Antidotum fuit
hanc qui transis, ama : illa fit
odio, & vive ut post vi-
vas.

Psalms XXXVII.

Commenda Domino viam
& spera in eum, ipse faciet.

Psalms XXV.

Perfectio & rectitudo cu-
stodiant me.

Cum nemo doctorum reperitur, cui pergratum non fit, intelligere, quosnam libros Hermannus Hamelmannus noster in lucem emiserit, quæque ab eo relicta fuerint scripta, commodissimum duximus hunc attexere nominatum Catalogum scriptorum ejus editorum ac ineditorum Latine Germanice, etsi Jesuita Labbe in sua bibliotheca bibliothecarum tradat, Hamelmannum omnium suorum scriptorum Catalogum propriâ manu descriptum, Viro Clarissimo Joh. Simlero transmisisse, ut illum Basileæ impressæ bibliothecæ suæ infereret, speravi facili negotio tituli extrahi potuissent, ast paucissimos in bibliotheca Simleriana deprehendi, quare de illis scriptis, quæ ad notitiam nostram pervenerunt, privatâ industria Elenchum adornare non inconsultum duxi.

Cata.

(28) Ita legitur in effigie æri incisa

(29) Chron. Oldenb. pag. 402.